

*venerunt gentes &c.* utramque prima meditatione effusam, et hinc multis lituris et emendationibus tam intra textum, quam in marginibus refertam. Prior incipit: *Cum animadverteret Beatus David ades sacras dijs falsis dedicari &c.* Altera: *Antiochi Regis cui cognomentum fuit Epiphanis id est illustris &c.* Autorem utriusque suspicor *Fridericum Nauseam* five *Grau Blancicampianum Ferdinan-*

*do* I. a sacris Concionibus et post Episcopum Vienn. cujus *Metaphrasis in Ps. LXXVIII.* reipsa typis prodiit *Viennae in Aedib. Job. Singrenii 1539.4.* nostra quidem, quae in praesenti Codice mutila est, multum elaboratior, sensu tamen cum ea conspirans. Intra fol. 6. et 7. adglutinata nobis est scheda haec praeferens: *Ad Regem Maximilianum.*

*Augusti sacris Rex optime nate calendis  
Octauum implesti iam qui feliciter annum,  
Indole tam clara prestans, et pectore forti.  
Cresce, uige, imperijs Augusto maior, et annis.*

Hos etiam Verficulos *Nauseae*, qui subinde et *Mufis* operatus est, tribuendos putem. Ad annum 1535. pertinent; *Maximilianus II.* enim natus est *I. Aug. 1527.* Sed quid octennem Puerum *Regem* vocat?

XCIII. VIII F. 24

480 Codex chartaceus lat. bohem. Sec. XV. Folior. 356. 4. corrente, varioque calamo exaratus haec continet: I. Expositionem succinetam *Psalmi XC.* Qui habitat. Incipit: *Psalmum 90 muni deo demonstrante atque enodante proposui exponere ut Omnis qui eum psallit sciat cui psallat et quare psallat et quid psallat &c.* *Bernardi* Expositionem sequitur *Nofter*, quae extat Edit. *Maur. Paris. 1690. T. III. col. 827.*

II. fol. 3. succedit *Sermo in natiuitate Domini.* Brevis et pa-

riter e *PP. Diētis* compilatus, hoc initio: *Diuina pagina dudum per os dauid pronunciata ammonet vniuersum populum christianum dicens: Cantate domino canticum nouum quia mirabilia fecit &c.* Ad Academicos, fortasse *Pragae*, habitum illa sub finem suadent: *Gaudeant scolares et clerici quia hodie natus est nobis Episcopus magnus &c.*

III. fol. 6. *Hic sunt fundamenta et scripture quibus Magister Procopius de plzua probat Communionem paruulorum in Basilea in pleno Concilio nomine regni Bohemie.* Initium: *Inprimis ergo pro fata communionem paruulorum ponendum est fundamentum solidum &c.* Fundamentum porro istud conuehit *Magister e S. Literis, Conciliis, Patribus, Praxi antiquae Ecclesiae, Libris Pontificalibus, Doctoribus Juris Can. et Scholasticis. Procuratorium, quo Procopius no-*  
fter

fter anno 1437. cum *Job. de Przibram* Legatus Univerfit. *Pragenae* ad Concilium declaratur, exhibet *Cochlaeus Hist. Huffit. L. VIII. p. 306.* In eo *S. Henrici nouae ciuitatis Parochialis Ecclesiae Rector* audit. Injungitur illis inter alia: *Scripturas atque autoritates pro communionem Paruulorum proponent in sacro Concilio.* Atque en id a *Procopio* praestitum! Sed denegata a Concilio Petito cauffante, Communionem Paruulorum per Compactata expresse exclusam fuisse. Ita *Cochlaeus cit. p. 311.* De *Procopio* ceterum *Balbini Bohemia docta P. II. p. 186.*

IV. fol. 23. *De utilitatibus corporis et sanguinis christi sub utraque specie.* Congeries Argumentorum e S. Literis et Doctoribus pro Communionem sub utraque, hoc initio: *Corde credendum est ad iusticiam et ore confitendum ad salutem &c.* Non indicatur Autor.

V. fol. 28. p. 2. *De Communionem Paruulorum Notabilia.* Initium: *Hebr. XIII<sup>o</sup>. Doctrinis varijs et peregrinis nolite abduci &c.* Mox ad ingressum Adversarii Canibus comparantur.

VI. fol. 31. *Anno domini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. XLVIII<sup>o</sup>. post Trinitatis.* *Ista sunt nuper immediate post exitum legati conclusa in plena congregatione Cleri Pragensis in Collegio Karoli. et singulorum vocibus et consensu roborata. ita ut si quis contra hec predicaret. uel dogmatifaret. tanquam inimicus et publicus perturbator pacis ab om-*

*nibus babeatur et ab urbe excludatur.* Cardinalis *S. Angeli Job. Carvajalius* feria 3. post Trinit. 22. *Maji Praga* discessit nullo dato Responso satisfaciante circa ea, quae cum Legatis *Bohemicis Basileae* compactata fuere. Hic itaque sequuntur VI. *Articuli*, quibus observantia Compactatorum et usus Communionis sub utraque Specie praecipitur, Praedicationesque contrariae aut Impugnationes prohibentur.

VII. fol. eod. lingua *Bohemica* Statutum Baronum et Communitatum de observandis Compactatis duraturum usque ad electionem novi Regis, sub auspicijs *Georgii de Kunstat et Podiebrad*, cui omnes adfistere jubentur. Locus *Montes Cuthni* sive *Kutenberga*, unde *Georgius* deinceps contra *Menhardum de Nova Domo* Capitaneum *Pragensem* movit mense Septembri 1448. Titulus lat. *Sequitur Proscriptio dominorum et Communitatum.* Initium boh. *Pani Zemene v Miesta v bory Cuthni. Naden swateho Jana krzitele nynie na Sniem sebrani &c.* Atque ex hinc *Podiebradi* fortuna se tollere coepit.

VIII. fol. 35. *Tractatus contra communionem.* Ita quidem Inscriptio, sed praecipuus Tractatus scopus est adfertio unitatis Ecclesiae et autoritatis Sedis Apostolicae contra Schismata, in qua non nisi *εν παροδω* necessitas Communionis sub Utraque impugnatur, quemadmodum et civile Cleri Dominium defenditur. Initium est: *Cristus Ihesus dei patris*

omnipotentis sapientia summa potenciali et ineffabili ac eterna unitate &c. Citatur *Bulla sacri Constantiensis Concilij*, et deplorantur *potentes in hoc regno Bohemie*, qui quamvis hanc (de legitimis Ecclesiae possessionibus) voce sententiam profitentur, factis tamen heu ipsam negant, Tutores et defensores se fidei ecclesie nominant et sub apparente hac iusticia distrahunt dolose et sibi appropriant patrimonium ihesu christi &c. Unde de Scriptionis tempore conjectari potest.

IX. fol. 53. *Joh. Hussi* Opusculum de VI. *Erroribus Cleri*, ipsius cura anno 1413. parietibus Templi *Bethlehemitici Pragae* latine inscriptum et insertum edit. *Opp.* 1715. p. 237. f. hic vero ab Eomet bohemicè versum hoc initio: *Znamenaw sest bludow gimiz mnozi nobliby byti zavedeni* &c. Differt Versio haec a latino Textu in eo, quod singulis VI. *Capitibus* praemittatur fufior cujusvis Erroris expositio, quam Latina ignorant, quae statim ab Erroris impugnatione ordiuntur. Praeterea nobis ad cal-

cem adjacet *Nota*, qua ait *Hussus* se feria quarta post *Trinitatis* absolvisse Opusculum, et joculariter addit, Archiepiscopum et Sacerdotes his compertis tamen non executos fuisse Interdictum, quod a Papa contra ipsum procurassent, nec a Sacris cessasse, unde ipsos potius tanquam inobedientiae reos, suspensos et profanos Sacerdotis suis excidisse.

X. fol. 73. p. 2. Epistola *Joh. Hussi* bohemicè scripta tempore, quo ob Interdictum *Praga* aberat, qua Suos confirmat, praecipueque iis inculcat, ne quam rem abjurent, excusatque absentiam suam eo ex capite, quod nolit reditu causam praebere, ut Sacris priventur. Scripta videtur a. 1413. nec extat latine reddita inter ejus *Epistolas* hoc tempore scriptas edit. *Opp. P. I.* p. 117. Ejus initium: *Bob svami pani mili y mistri prosim vas* &c.

XI. fol. 74. p. 2. Alphabetum *Bobemicum*, cujus singulis characteribus respondet litera prima dictionum infra eos scriptarum. En primam lineam:

a b c c̄ d d̄

A bude cele celedi dano diedictwie. id est:

*Et dabitur tota familiae hereditas.*

Alphabetum excipiunt *Sententiae* complures de Deo, Christo, Ecclesia et Peccatis, quarum prima: *Bob gest dobre nadniem nemoz byti pomyslène lepsie.* &c. Iterum *Cod.* alio.

Denis *Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

XII. fol. 77. Tractatus bohemicè scriptus de Peccato primum in genere, tum de Peccato mortali et veniali, cujus initium: *Hriech gest nedo statek ctnosti. Ctnost gest milovaniè redu* &c.

Q Scrip-

Scriptus dicitur sub finem: Anno domini 1414. *Austii* five *Auschae*, quo nomine plures in *Bohemia* civitates sunt, die SS. Martyrum *Johannis* et *Pauli*. Autorem Opusculi *Job. Hussum* esse, non incredibile, quamvis inter ejus latina Scripta non extet, atque hinc *Austium* in Circulo *Taboriensi*, nunc dirutum, intelligendum puto. *Constantiam* ille hoc anno 3. demum *Novembr.* adpulit.

XIII. fol. 81. Tractatus bohemicus scriptus de *Decimis*, principio tamen et fine truncatus, *Capita* III et IV. integra cum parte II. et V. complexus, itidem fortasse *Job. Hussi*, quamvis multum eo prolixior, qui inter Scripta ejus latina visitur P. I. p. 156.

XIV. fol. 93. *Utrum ex fundamento scripture sacre et testimonio antiquorum sanctorum possit ostendi. uel credi debeat, quod in sacramento altaris corpus christi. de virgine natum. passum etc. sit in sua propria existentia. vel natura.* Statuitur multis praemissis et examinatis Scripturae et PP. locis, quod corpus Christi panis vivus existens in sacramento altaris verius et nobiliter ibi existat in sui natura secundum vitam spiritualem et divinam et immortalem quam olim existebat secundum vitam animale mortalem &c. Quod corpus et sanguis vere cibus et potus existentes velentur formis visibilibus panis et vini &c. et alia Dogmati catholico congrua. Verum, cum fol. 121. conetur Autor *Wiclefii*, quem *Doctorem Evangelicum*

adpellat, argumenta contra Praesentiam realem et existentiam in diversis templis mollius interpretari et sententiae suae adcommo- dare, *Jacobellum* eum putem, id quod Cod. alio certum fit.

XV. fol. 125. Quaestio lingua *bohémica* tractata, utrum Christiani obligati sint persistere in unitate et obedientia Romanae Ecclesiae. Adfirmatur contra *Wicleffum* et ejus Apologitas, probaturque e consuetis Locis Theologicis, adducto sub finem ipsius *Hussi* testimonio ex ejus Scripto contra M. *Stanislaum de Znoyma*. Scriptum istud extat Opp. *Hussi* P. I. p. 331. Initium Quaestionis: *Otazka gest velmi vziteczna a wiede- dieti wteto zemi wtiechto Czechach velmi potrebna* &c. Autor taceatur.

XVI. fol. 149. Tractatus itidem *bohémice* scriptus de Existentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia, qui incipit: *Dobrota swrchowana pana nasebo Jezuz krysta* &c. et est pene Versio Quaestionis N. XIV. indicatae.

XVII. fol. 182. p. 2. *Notandum de festo pasche Antiqui patres ecclesie primitiue quid senserunt et quo tempore obseruarunt.* Sequuntur Excerpta ex *Eusebii Pamph. Hist. Eccl. L. V. a Cap. 22. ad 25.* quamvis Margo Cod. a Cap. 20. ad 25. censeat.

XVIII. fol. 187. *Super passione domini nostri ihesu christi.* Succinctae Glossae in hanc *τὸ Μοῦσεος* partem, in quibus post *Bedam* et *Rabanum* etiam *Simon de Cassia* citatur. Initium: *No-*

*tandum. quod effusio ungenti facta in Bethania Sabbato ante Palmas in domo Symonis leprosi fuit occasio qua Judas dominum christum tradidit &c.* Abruptae videntur in his verbis: *Signantes lapidem cum custodibus. Hussi* tamen in *Passionem J. C. Expositio*, nostrae non multum absimilis *Opp. P. II. p. 8.* iisdem verbis terminatur.

XIX. fol. 247. *Sermo primus in cena domini de eadem Epistola*, id est, I. ad Cor. 11. *Convenientibus vobis in unum &c.* Initium: *Indeuote et indigne accedentibus ad sacramentum altissimum preciosi corporis &c.* Sequitur *Sermo in natiuitate Domini*, contextus e locis *Ambrosii et Augustini*. Item, *in die Natiuitatis christi ihesu*, in illud *Luc. c. 2. Exiit edictum &c.* Exordium a loco *Bernhardi: Festum hodiernum est quasi ortulum odoriferum &c.* Omnes hi III. *Sermones ad Job. Hussum* vel aliquem ejus Discipulorum pertinere videntur. Ultimo *Bohemica* quaedam non semel inspersa sunt.

XX. fol. 271. Discutitur *Quaestio de Benedictionibus Aquae, Carnium, Panum &c.* hoc initio: *Opinio quorundam. qui dicunt. ut puta aqua carnes panes casei &c. non indigent aliqua benedictione per sacerdotes facta &c.* Autoribus variis, quin *Job. Januensis Catholico*, adductis deciditur pro Ritu Ecclesiae.

XXI. fol. 274. *Oratio Legatorum Bohemiae ad Nicolaum V.* Initium: *In nomine eius feliciter Amen. Ex cuius immensa potentia constat totius huius mundi sen-*

*sibilis confecta armonia &c.* Ajunt, *Populares suos accepisse a Praeceptore Nicolai Eugenio literas suauissimis apicibus redolentes*, quibus moti hanc ad illum legationem destinassent. Verum jam in itinere constitutis renuntiatam esse *Eugenii* mortem. (23. Febr. 1447.) Institisse ipsos nihilominus viam et nunc rogare, *quatenus iuxta sponsonem literarum predecessoris dignetur ipsos et regnum ipsorum paterna et beniuola caritate respicere.* Speciatim vero, *quatenus venerabilem virum Johannem de Rokiczan magistrum alme vniuersitatis pragensis. virum utique in ipsa vniuersitate et pragensi Ciuitate honeste et laudabiliter conuersatum. sapientia. scientia. facundia ac eloquencia preditum ab ipso regno cum clero suo tanquam ydoneum. et benemeritum ad Archiepiscopatus officium Ecclesie pragensis electum, In laudem omnipotentis dei. pro pace et tranquillitate eiusdem regni. proque salute et consolatione non modica populi confirmare dignetur et prouidere, ut graciosè consecretur. &c.* Eadem *Petitio instaurata Pragae apud Job. Carvajalium Card. Legatum Nicolai V. ut habes Cochlaei Hist. Hussit. L. X. p. 353.* ad an. 1448. Verum pro verfutissimo *Rokyczana* nihil impetratum, quod *Capitulum Metropolit. Pragensè* secretis literis, quis homo esset, *Nicolaum* edocuerit, ut refertur in illius vita in *Essigieb. Eruditt. Boh. et Morav. P. II. Pragae 1775. p. 97. 8.*

XXII. fol. 275. p. 2. Eadem Oratio *bobemice*, cui accedunt eadem lingua Responsum Papae, quo promittit Legatum supra dictum, Replicatio Nunciorum, Puneta illis commissa *Romae* agitata, *Henrici Kalteisen* S. Palatii Magistri, et *Johannis* Card. S. *Angeli*, item Secretarii Card. *Andegav.* ad Nuncios Dicta, denique Colloquium Papae cum iis. Omnia haec versantur circa reditum Regni ad unionem cum Sede Rom. circa Communionem sub utraque et Confirmationem Archiepiscopi, prout exponuntur in Oratione Card. Legati, quam exhibet *Cochlaeus* L. X. p. 353.

XXIII. fol. 285. Materies Sermonum pro *Paschate*, *Ascensione*, *Pentecoste* et *Festo Corporis Domini*, sive Expositio Locorum Biblicorum in hisce Festis in Ecclesia legi solitorum. Primum exponitur illud *Lucae* ult. *Surrexit dominus vere et apparuit symoni*. Initium: *Notandum quod dominus surrexit potenter mirabiliter utiliter veraciter feliciter &c.* Ultimum illud *Job. 6. Caro mea vere est cibus &c.*

Quae de Eucharistia sunt, ad Communicantes sub utraque Specie directa esse videntur.

XXIV. fol. 339. In festo *pasche*. Sermo Bohemicus, cujus Thema: *Slawne wskrziessenie spasytele nassebo Bud wesele kazdebo wiernebo*. Resurrectionem scilicet Servatoris unicuique Fidelium adferre gaudia.

XXV. fol. 345. absque Titulo Expositio Rituum omnium Sa-

crificii *Missa* brevi Sermone comprehensa, cujus initium: *Quis ex uobis arguet me de peccato*. *Joh. XIº. Quia hodie in epistola tractatur de pontificatu et sacerdotio eterno christi &c.*

XXVI. fol. 346. Incipit tractatus de ordine et officio sacerdotali. Initium: *Quasi stella matutina in medio nebulae &c.* Inscríbitor alias *Stella Clericorum*, indicanda pluries.

XXVII. fol. 353. Summa quaedam Theologica in Alphabetum digesta, cujus Elenchus praemititur. Textus ipse inchoat: *Accidia. Nota accidiosus est sicut canis famelicus &c.* sed non ultra literam A. progreditur.

Multa huic *Codici* inesse, quae lucem nondum videre, praecipue Sermone *Bobemico* conscripta, vix est, quod moneam. Praetexta est ei Membrana *Fabulas* V. carmine elegiaco concinnatas exhibens, quae inter *Fabulas* LX. *Anonymi* cum alias, tum in *Mythologia Aesopica* ab *Is. Nic. Neveleto Francof.* 1610. p. 486. editas numero sunt LII. LIII. LIV. LV. LVI. Manus est Sec. XIV. Fabellis singulis pone adscripta est *Παγαφῆσσι* pedestris, diversa ab illa, quae in edit. *Ulmana* ex offic. *Job. Zeimer* f. a. f. singulas praecedit, et *Romulo* cuidam tribuitur. Fab. LII. ubi *Nevelet.* legit: *foedere tentat*, rectius *Noster* cum *Ulm.* *fallere tentat.* Fab. LIV. *Noster*: *recipit* et *amoena pro sociat* et *amice*. Item *placet esca* pro *sapit*. Fab. LV. *nutrit*

*inertia pro fouit. De Autore ad Fabric. Bibl. lat. edit. Ernest. T. II. p. 29. Confer et Lessingii Symbolas vernac. e Biblioth. Wolfenbut. I. p. 67.*

XCIV. VII. H. 31.

709 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 58. 4. inscribitur: *Anti — Politicus Regis Davidis Spiritus in Ferdinando II. Romanorum Imperat. semper Augusto &c. rediuiuus Pia Psalmorum Paraphrasi expressus, nec non ad Res eiusdem pro Ecclesia Dei præclare in Imperio gestas accommodatus. Paraphraste J. W. J. C. Anno MDCXXXVIII. Psalmi sunt XX. primi interpolati ad modum, quem Specimen e Pf. IX. excerptum et hic adscriptum exhibet: In cædendo et conuertendo inimicum meum Palatinum, Gabor, Danum, Suecum et Galum retrorsum in terras suas: infirmabuntur cum rebellibus subditis meis, et peribunt, non a me, nec ab Exercitu meo, sed a irata facie tua.*

*Quoniam tu solus fecisti iudicium meum et causam meam defendendam suscepisti: sedisti super Thronum qui iudicas et respicis non Rationem Status, sed iustitiam. Increpasti gentes, Bohemos meos, et periit impius Fredericus: nomen, famam, et honorem eorum, qui direxere, delisti in æternum, et in sæculum sæculi.*

*Inimici mei, Palatini defecerunt in prælio Pragenfi, frameæ,*

*arma, et uires in finem, et ciuitates, ac terras eorum, qui militarunt ipsi, destruxisti et confiscasti.*

*Periit memoria eorum, Directorum cum sonitu, et tonitru bombardarum, et tormentorum in Monte Albo boantium et resonantium, et Dominus cum Ecclesia sua et fidelibus Seruis suis in æternum permanet.*

*Parauit iterum in iudicio thronum suum, et ipse, non ego, non Bauarus, non Tillius, non Cordua, iudicabit Durlachium, mox Halberstadium, post Mansfeldium, et instruet inde orbem terræ in æquitate: iudicabit populos, non in Ratione Status, sed in iustitia.*

*Atque hæc satis ad formandum de Ceteris iudicium. Quid si Literæ I. W. Johannem Weingartnerum e S. J. Ferdinando a facris Concionibus, et Literæ I. C. non Juris Consultum, sed aut Jesuitam Concionatorem, aut Jesu Commilitonem tegerent? Sed nihil definitio.*

XCV. VIII. C. 29.

Codex membraneus lat. Sec. 378 XIII. Folior. 146. f. luculente scriptus, rubricisque decoratus inscribitur: *Incipit Prefatio Honorii. in Cantica Cantorum. Initium: Donum. Sapientiæ. cum Salomone poscenti. a uero pacifico postulata consequi. Quia predecessori tuo beatæ memoriæ. Uenerando abbati C. (Cunoni) librum dauid utcumque explanauit &c. Ut in*  
Bibl.